Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 233
Quelle:
Copyright:

Anno 1408. &c. Finis: *ſpiritus ſui robur deus qui eſt benedictus in ſecula. Amen.*

XXXII. *fol.* 301. *Incipit tractatus de directione habenda in raro uel cottidie celebrando miſſam et quo ordine ſacerdos ſemel in die digne valeat celebrare. Et de hijs qui pluries vna die celebrant indiſcrete.* Initium: *Quemadmodum in quorundam domibus nobilium nomina eorum* &c. Finis: *et in ſpiritualibus epulis recumbere deſiderat.* In elencho *Cod.* praefixo ad latus tituli eadem manu notatur: *M. Mathie de cracouia.* Tractatum de eadem materia hujus Autoris adferimus alibi, ſed is *Dialogus* eſt et aliter incipit. Itaque, ſi non fallit Librarius, duo ejusdem Argumenti Opuſcula ab hoc *Matthia*, potius *Matthaeo*, profecta eſſe oportet. Id, quod etiam innueret *J. Frid. Schannatus* in *Hiſt. Ep. Wormat.* T. I. p. 408. ſi de ejus in hoc genere ἀκριβείᾳ magis conſtaret. *Dialogum* enim *inter conſcientiam et rationem* a Libro *de Celebratione Miſſae* diſtinguit. Sed nempe novimus miram elapſi Aevi in Titulorum conſignatione oſcitantiam, cui nonniſi multorum *Codd.* collatione medeare.

XXXIII. *fol.* 309. p. 2. *Incipit Tractatus de contractibus habens duas partes. M. Hainrici de Haſſia.* Praemittitur Index *Capitum* utriusque Partis. Non eſt ille *ad Conſules Wienn.* ſed prolixior alter, qui incipit: *In ſudore vultus tui* &c. et *Codd.* pluribus indicatus eſt.

XXXIV. *fol.* 358. *Sermones M. Ni. de dinklſpuchl de corpore chriſti.* Sunt numero V. Primus incipit: *Caro mea vere eſt cibus* &c. Reliquorum initia dedimus *Cod.* DCCLXII. ubi *Sermones* hi autoris nomine deſtituti occurrunt. Inter rariſſima *Nicolai* ſcripta eſſe, inde conjicias, quod vix unus alterve Bibliographus eorum meminerit.

XXXV. *fol.* 390. *Incipit tractatus de defectibus Miſſe.* Initium: *Defectus miſſe ſunt, quando requiſita ad celebracionem miſſe deficiunt* &c. Dividuntur hi defectus in defectus ex parte materiae, ex parte miniſtri, et ex parte formae. Finis: *et de nouo reſumere a conſecratione ſanguinis et ſacrificium perficere.*

XXXVI. *fol.* 394. *Incipit Criſoſtomus de reparacione lapſi.* Eſt hic Λογος παραινετικος ἐις Θεοδωρον ἐκπεσοντα, et quidem *prior*, ſi tamen uterque hic *Sermo* ad eundem *Theodorum* poſt *Mopſueſtenum* Epiſcopum dirigitur, ut doctiſſimus *Montefalconius* in *Monito* praevio Edit. *Opp. Chryſoſt.* T. I. p. 1. *Pariſ.* 1718. f. contra *Tillemontium* propugnat. Initium eſt: *Quis dabit capiti meo aquam* &c. Finis: *alia ultra medicamenta non requiras.* Rejecit interpretationem hujus Sermonis ab *incerto*, ut ait, Interprete factam Editor *ſupracit.* utpote non accuratam, novamque paravit. Sed cave, eam noſtram putes. *Incertus* ille Interpres eſt *Wolfg. Fabritius Capito*, qui Verſionem ſuam primum publicavit *Baſileae in*